



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

V. De Passi Merito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

tata, nisi cui cum ratione liberit insanire: istis tamen hic adjecerim pauca solum biblica, quæ illum, quem damnatorum credimus infernum, secretum ab aliis locum, propriumque existere oportere testantur.

1. Seditiosi, quibus terra dehiscere irato Deo, Num. 16. *descenderunt viuentes in infernum*: Eum scilicet locum quod antè coelo deturbati ruerant Angeli apostata.

2. Ezechiel in planctu super Pharaonem, ac Ægypti multitudinem, ait denique, cap. 32. *Detrahe eam ad terram ultimam; quam? Cum his, qui descendunt in lacum*. Ibidem de Assyriis interfectis ait; *Quorum data sunt sepulcra in nouissimis lacus*. Causa: Quia portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. Ibidem de gigantibus sceleratis ait: *Descenderunt in infernum cum armis suis*. Quia portauerunt confusionem suam flagitiorum.

3. Huc addixit eos pro meritis, qui ait, Deut. 32. *Ignis succensus est à furor meo: hæc ira Dei Vindicis: locus ecce; & ardebit usque ad Inferni nouissima*. Sic Iob. 24. intelligit: *Vsque ad inferos peccatum illius*.

4. Queritur de impiis Iob, c. 21. sed denique dum tenent tympanum &c. et ducunt in bonis dies suos; in puncto ad inferna descendunt. Sic de meretrice, Prou. 2. *At inf. ros semitæ eius inclinata sunt*.

5. Deijs affirmat Iob. 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendit*.

6. In hoc inferno Inferiore, Pl. 85. alligauit Apoc. 9. *Regem Angelum abyssû, in puteo abyssû, is, qui habet clauim abyssû*.

7. Hic clamauit, Luc, 16. diues epulo

exstammis. Quæ, aliaque talia solum de impiis, damnatis, de damnatorum pœnis, deque receptaculo ultimo damnationis sic loquitur, vt aliter nequeant vel probabiliter interpretari, etiam ab ijs, qui vbique tropos & allegorias crepare assolent: ceu nouis Origenistis Caluinianis solenne est. Porro de effectu Passionis Dominicæ.

V. DE PASSI MÉRITO.

QVÆSTIO LVIII.

*An Christus natus ac Passus sibi
quid meruerit?*

LUTHERANI vt Gerlachius Tubingensis Professor Theologiæ lib. contra Ioan. Buseum, *Christus nihil quicquid, nec illi Humana, nec illi Diuina, natura, aut in cruce, aut in inferno doloribus promeruit*. Buseo, nubem S. Patrum obijceni, respondit ille: *Licet Augustinus &c. & alii ita sentire videantur; eos tamen euenus audio & sequor, quatenus euidentibus Scripturæ rationibus sua probant. Quæ, dum Christum PROPTER Passionem gloriæ coronatum, & caput exaltassè dicunt; non causam promerentem, sed euentum gloriosum significant.*

CALVINISTÆ cum CALVINO Instit. l. 2. c. 17. § 6. *Quære, An sibi meruerit Christus, quod faciunt Lombardus & Scholastici; non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, ubi hoc idem asseruerunt. Quocirca Calvin. in Mat. h. 16. v. 21. Non reperit Fides nostra in cruce, quo se sustentet. PETRVS MARTYR. Omnibus suis operibus ne calumnia quidem promeruit.*

SVADET CALVINVS istis, Instit. l. 2. c. 17. § 6. 1. *Quid enim opus fuit descendere unicum Filium, vt sibi quisquam acquireret noui? 2. Ibid. Consilium suum exponens Deus omnem dubitationem exco. it. Non enim Fily vilitati consuluisse dicitur Pater in casu meritis; sed eum tradidisse in mortem, neque ei*

M 2 peper.

pepercisse, quia mundum diligeret. Es notanda sunt locutiones prophetica: Puer natus est Nobis. Ecce venit Tibi: &c. Inde colligimus rationem sui non habuisse. 3. Quia, Idclare significat dicens: Pro illis sanctifico me ipsum. Se etiam nil acquirere testatur, qui fructum sanctitatis sue in alios transferre, quodammodo sui oblitus.

AUTOR. I. Aduersarius hac in re Caluino, Franc. Stanckarus libr. de Trinit. & Mediatore contra Tigurinos sic ait: Plus valet vnus Petrus Lombardus, quem spernebat Calvinus, quam centum Lutheri, ducenti Melanchathones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, et quingenti Caluini. Qui omnes si in vno mortario contunderentur, non exprimeretur vna uncia vera Theologia.

2. Christus sibi multa maxima promeruit. Vt Gloriam corporis. Luc. 24. Nonne oportuit. &c. Phil. 2. Propter quod & Deus exaltauit eum. &c. Vide D. Tho 3. q. 49. a. 6. c. &c. & in meo Antichristo. quaest. 15.

Et verò omnes ad meritum necessariae conditiones in Christo conueniunt. Et dignius est quædam habere ex merito, quam dono; aut carere iisdem. Item, meruit Animæ Impassibilitatem. Ies. 53. Si posuerit pro peccato Animam suam, videbit Semen longæuum, & vt LXX. legunt, Dominus vult auferre animam de doloribus eius. Item meruit Resurrectionem, Corporisque dotes gloriosi: Ita D. Th. 3. q. 49. a. 6. iuxta Psal. 100. De torrente in via bibit, propterea exalt. Pl. 138. Tu cognouisti Sessionem meam, & resurrectionem meam. Item Ascensionem, Nominis exaltationem, Iudiciariam potestatem, D. Tho. 3. q. 59. Item Dominium, Molinæ tom. 1. tract. 2. dist. 28.

Quærat nunc CALVINVS, Inst. 1. 2. c. 17. §. 6. Quibus meritis assequi potuit Homo, vt Iudex esset mundi, Caput Angelorum, atque vt potiresur summo Dei Imperio?

DICO AD I. Nihil quidem acquisiuit sibi, quæ Deus erat omnium diues: at quæ Homo factus acquisiuit sibi augmentum gratiæ, scientiæ, sapientiæ, &c. & gloriam debitam illi ex condigno iure & mercedis, & præmii.

AD II. Vera ista; at Falsum, Christum rationem sui non habuisse. Nam merendo nobis & sibi est meritum consequenter.

AD III. Sanctificauit se, Nobis satisfactoriè; sibi Meritoriè.

QVÆSTIO LIX.

An Christus patiendò satisfecerit pro
CVLPIS Humanis Om
nium?

LUTHERANI, vt **HUBERVS** suis in scriptis verborosissimis contra Kimedontium; & Heidelbergenses passim ista: Passione sua Christus meruit, vt Patet caelestis propter mortem re ipsa & efficaciter, totum genus humanum in gratiam ac Sinum suum receperit: Ita, Vt omnibus ex æquo peccata condonata sint; Siue credant siue non; Vt omnes, etiam reprobi, a quibus saluati sint, ac quilibet et alii; Et si propter nequitiam suam illi rursus condemnentur.

II. HESVVS, teste Clebitio in lib. cui titulus, Ruina Papæus Saxonici, parte 2. contrariam illis distinctionem iuduxit in concionibus, disputationibus, inque colloquiis. Per Christum, dicit tans, vt **LIBERATI** a diabolo sumus; At certè **REDEMTI** sumus minime omnes. Hoc enim Electorum; illud tiam Reproborum est.

III. CALVINISTÆ Imputatiuam iustitiam, velut hederam sine vino, passim ad apothecas suas suspensam ostentant, lippis ac tonsoribus notam. Vnde **I. CALVINVS** Inst. lib. 3. c. 12. §. 4. & c. 17. §. 3. Similiter Confessio Geneuentis c. 4. §. 19. Perpetuè in eadem peccandi necessitate versamur. Sumus uenundati sub peccato, vt agamus malū. Quicquid

quid facimus, peccatum est. Præstantissima hominum opera mera donorum Dei sunt pollutiones. Ipsa Iustitia opera & sanctitatis, probum magis, quam laudem perpetuo merentur.

2. Indidem Colloquium Ratisponen. p. 364. 366. Omnes nostra iustitia sunt instar panni menstruati; Etiam quatenus à nobis per Christi gratiam perficiuntur.

3. Castallione teste in transl. Bibliorum defensione, pag. 192. verit. Beza, & reprehendit Erasmus, ac veterem Interpretem; qui verterunt, Aboleatur, seu Destruatur corpus peccati. Rom. 6. Itaque Calvinistis Peccati corpus non destruxit Christus; sed tantum enervauit, id est, per quandam impusationem, rexit potius, quam reuera sustulit. &c.

IV. LUTHERO-CALVINISTARVM Scholæ istud Commune habent: Legis, quantumcunque annitatur, vult frangamus nos; ne minimum quidem apicem possumus implere. Colloquium Ratisbon. Omnia opera nostra sub maledicto Legis & manent ipsa, & operantes ea relinquunt. Plura alibi de Iustificatione part. 4. Vnde quibus Lex Euangelii dicitur seruatu impossibilis; Et opera omnia sunt sub maledicto; illis peccandi necessitas incūbit ad eod, vt minimè à culpis per Christum liberati censeantur. Quæ igitur pro iis data erit Satisfactio; quos tam pertinax vrget Maledictio? Sed non tam cum Lutheranis, quam cum Calvinianis est hæc nobis quæstio.

AUTOR. I. Duobus modis Redemptor noster præstitit nobis tam Electis, quam Reprobis generatim, liberationem à seruitute peccati, & maledictione legis: 1. Dissoluendo debitam peccatis pœnam, veniamque eorum promerendo, quæ contra Legem Dei commisimus. Et hoc vtrò nobis omnes dant hæretici. 2. Extinguendo desiderium peccandi, per infusam mentibus gratiã. Id quod vbique inelamant Apostoli, 1. Pet. 1. vers. 19. 20. 21. Coloss. 1. vers. 22.

Ephes. 5. v. 26. Tit. 2. v. 14. Heb. 9. v. 14. &c. 10. v. 1. Luc. 1. v. 74. Simul gratiam spiritumque largiendo, quò implere Legem valeamus: Rom. 8. v. 3. & 4.

2. Istuc autem impietatis erupit hæresis, quòd Luthero-calvinistæ tribus gradibus institerint. 1. Gradus: Redigendo Christum in cæterorum hominum conditionem: patet supra: Vt esse Deum passibilem ac mortalem, q. 10. & vix Deum, quæst. 10. 31. Esse, quæst. 17. 32. peccatorem: Fuisse, quæst. 28. ignorantè: Imperfectum, quæst. 30. Nec inuocandū vel adorandum, quæst. 34. Vix, quæst. 40. honorandum: Nec, quæst. 41. verè satis passum; Et id, quæst. 44. &c. admodum defectuosè, ac desperatè, & damnatè; Sibique, quæst. 58. nihil quicquam commerendo.

2. Alter Gradus: Affingendo ei iuxta corporis mortem & quæst. 42. 43. Animæ, adeoque Diuinitatis; atque etiã cruciatus damnatorum; quò possit dici Christus Redemptor.

3. Gradus. Quòd à fronte nomen ei Redemptoris tributum, idem à tergo mox iterum ei eripiant.

Miranda Impietas! Vt nemo non videat planissimè que de Calvinistis intelligat, verum illud Bezae esse, in epist. 5. Theolog. Tempora Apostolicis vicina, sicū nostris comparentur, plus conscientia, minus habuerunt scientia. Certè nemo vnquã, qualem formant illi Christum, sciuit, aut scire voluit. Neque hîc in refutandis plus operæ posuerim; vtpote loco proprio reseruatâ eausâ hac. Solum hîc, vnicumque S. Thomam 3. q. 49. a 1. ipsis opponam. Is ita:

II. CHRISTI Passio est propria

M 3 cau-

causa Remissionis omnium peccatorū tripliciter. I. Per modum prouocantis ad Charitatem. Iuxta Rom. 5. *Commendat Deus suam charitatem in nobis, quoniam, cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Per Charitatem autem consequimur veniam peccatorum. Iuxta Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* II. Per modum Redemptionis. Quia enim est Caput nostrum per Passionem suam, ideo liberauit nos à peccatis tanquam membra sua. III. Per modum Efficientiæ; in quantum Caro, in qua passus Christus, est instrumentum Diuinitatis: ex quo passionis eius & actiones operantur in virtute diuina ad expellendum peccatum. Hinc Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Prou. 10. *Vniuersa delicta operit Charitas.* An sola? Nam Prou. 15. *Per misericordiam & Fidem purgantur peccata.* Verum id ita accipe; quòd per Fidem charitate formatam, Passio Christi nobis applicatur. Vnde Rom. 3. *Quem posuit Deus Propitiatorem per Fidem in Sanguine eius.*

Sed hæc velut vniuersè dicta sunt: Nunc in rem ac quæstionem propius. Propriè ad Calvinistas proposita spectat quæstio: de qua tamen etiam *infra q. 62.*

CALVINVS asserit tria. 1. Mors Christi non fuit pro omnibus. 2. Meritum mortis non prodest omnibus. 3. Ex Merito Christi Deus non dat omnibus fidem & gratiam. Sed mortuus est pro solis prædestinatis: hisque solis prodest mors: his Deus solis largitur Fidem ex meritis Christi. Ratio Caluini Inst. 3. c. 22. §. 10. *Si omnes vellet saluos, Custodem illis præficeret Filium, & omnes in eius Corpus sacro Fidei vinculo insereret. Nunc constat singulare esse paterni amoris pi-*

gnus, filiis, quos adoptauit, reconditum. Ibid. c. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis largiendo, hos prætermittit? Quia ad vitam sunt ordinati. De aliis quid sentiemus, nisi quia sunt vasa iræ in contumeliam?*

SVASIONES audi, cū Dona Gratiæ sint duplicia: Vocationis & Iustificationis: DICUNT, 1. Vocari reprobos externa tantū voce; non internā gratia præueniente. 2. Alii dicunt vocari à Deo reprobos; at non ferri, nec animo iuuandi; sed simulate, animo nocendi. Ita Calvinus Inst. 3. c. 24 §. 13. *Vocem ad eos dirigit; sed ut magis obsurdescant: Lumen accendit; sed ut reddantur cæciores: doctrinam profert; sed qua magis obstupefiant: remedium adhibet; sed ne sanentur.* 3. Si secus; cur multi pereunt?

4. Quoad Iustificationem: Christus fatetur se non venisse pro omnibus: Matth. 13. *Non veni vocare iustos sed peccatores.* Matt. 15. *Non sum missus, nisi ad oves, qua perierunt, domus Israel*

AUTOR. Duo nobis assentiuntur Calvinistæ: 1. Sufficietiam meriti Dominici, utpote Infiniti, ad totum genus humanū redimendum ac saluandū.

2. Eam reipla non esse Efficacem respectu Reprobatorum: quia hi non perueniunt ad vitam æternam.

3. At Christi Meritū esse reipsa efficax respectu reprobatorum, quoad dona gratiæ in hac vita. Hoc tertium negant Calvinistæ; eò, quòd tales sint vasa iræ.

AUTOR. AT Dona gratiæ sunt alia Vocationis; alia Iustificationis.

I. Vocationis donum est, Excitari à Deo ad fidem aut Pœnitentiam per gratiam præuenientem: at reprobi excitantur: Matth. 11. *Venite ad me omnes.* &c. Matt. 20. *Multi vocati, pauci electi.* Mar. 16. *Prædicate Evangelium omni creatura.* Apoc. 3. *Sto ad ostium, & pulso; si quis audierit.* &c.

2. Si

2. Si Deus, tam bonus est, vt, ait S. August. in Enchir. c. 100. non sineret Bonus fieri male, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset bene, & peccatū in vsum bonū vertere; ecquū tam crudelis esset, vt gratiam suam, ordinaram ex se ad gloriam, verteret in perniciem nostram? Et vertere tamen pertendunt Calvinistæ: quin & peccati Autorem cum faciunt. Atapes non araneos, imitatur Deus.

1 I. Iustificationis donum item subinde percipiunt reprobi, id est, fidem & iustitiam; idque ex meritis Christi. 1. Ita S. August. l. de corrept. & grat. c. 17. *Credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverantia, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter & iuste viuere; & postea cadere.*

2. Sic Hebr. 6. *Semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt Sp. Sancti; & prolapsi sunt. &c.* Et hie loquitur Apostolum de reprobis fatetur Calvinus Instit. 3. c. 3 § 21. Ergo contra seipsum.

3. Sic 1. Tim. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Et: *Dissident quidam à fide.* 2. Tim. 2. *Hymeneus & Philatus à veritate exciderunt.* 2. Tim. 3. *Corrupti mente, reprobi circa fidem.* Ve. è, 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiae; quam post agnitionem retrosum conuertere.* Itaque Christi Merita, Gratia, Beneficia pertinent ad omnes Electos & Reprobos; etsi effectū dispari.

DICO AD I. Factum hoc: Nam, Apoc. 3 *Ego sto ad ostium cordis, & pulso per gratiam excitantem intus.* Quod hic externum Vocans? Item A& 7. *Dura ceruicis, & in circ. cordib. 3; vos sumpsit Sp.*

Sancto resistitis, id est, inspirationi gratiæ intus excitantis.

AD II. At aperte Christus contrà: *Venite ad me omnes: &c. ego reficiam vos: non dicit, eludam vos.* Item pulso, vt quis aperiat, non vt obdurem. Quia, 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnit. ver. peruenire.* 2. Pet. 3. *Non vult aliquos perire; sed omnes ad pen. reuerti.*

AD III. Cur? Quia Deus vult quædam Absolutè: quædam dependenter à lib. arbitrio hominis; & sic vult saluos homines. Prou. 1. *Vocaui, & renuistis; Matth. 24. Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?*

AD IV. At ex sententia Caluini venit vocare prædestinatos, non peccatores; contrà quam dicit Dominus. &c. Vide P. Becanum in *Manuali lib. 3. c. 2. quæst. 1.*

QVÆSTIO LX.

An passio Christi persoluerit POENAS Culpis nostris debitas?

CALVINVS Instit. l. 2. cap. 17. §. 1. *Si Christum simpliciter & per se Dei iudicio opponere volueris; Merito nullus erit locus.* Idem in Phil. c. 2. v. 9. *Loca Scriptura, quæ PROPTER Christum nos saluari dicere videntur, quæque meritum in eius passione collocant; ordinem tantum consequentia, non causam significant.*

2. CALVINIANI fratres, apud BEZAM in abstersione calumniarum Heshufii, conclamant: *Nullo modo dici potest; Patris nos misericordiam, & tamen Filij Merito saluari: PER Christum, non PROPTER Christum seruati sumus.*

3. Iterum BEZA ibidem cum Calvino, Redemptor Christus dicitur: *Non quòd Passio eius & mors visus & efficacia ad redigendos nos cum Deo in gratiam voluerit; sed quòd Patris gra-*

posito favore, & misericordiâ eius beneficium complexus sit.

LYTHERANI cum deletionem culparum fuisse realem operatum Iesum negant; pœnarum quoque sublationem pariter factam à Christo nullam, consequenter affirmate cum Calvinistis ferè coguntur. Vide q. precedente.

AVTOR. I. Ecquid est igitur, quod asserit Apostolus, 1. Tim. 2. *Christus semetipsum dedit Redemptionem pro multis?* I. Ion. 2. *Ipsè est redemptio nostra pro peccatis nostris.*

2. Si, ut aiunt, Pater PER Christum nos liberarit: jam Pater, non Christus, Redemptor erit. Qua causâ illa Calvini Glossa ac commentum de voce PROPTER, &c. impio quoque Flacco Illyrico vitâ pestifera est, adeò, ut eam totius Passionis Dominicæ efficaciam effectumque eludere, ac elidere iudicârit.

3. Deinde, Gal. 5. *Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam abscindantur, qui vos conturbant!*

I. Ita nostræ se habet Redemtionis ratio. Tria erant in seruitute nostra sub diabolo: I. Quâ Homo subiugari diabolo, (ut cuius tentatione fuerat superatus) meruerat peccato suo; Sic Christi Passio est causa Remissionis peccatorû. 2. Quâ DEVS hominem reliquit potestati diaboli; ut à quo læsus peccando fuisset: Sic liberavit nos Christus recõciliando Patri. 3. Quâ DIABOLVS sua voluntate hominem à consecutione salutis impediabat: Sic ab eo nos liberavit Iesus, excedente modum potestatis sibi tradita à Deo, ut mortem Christo quoque machinaretur Infanti. Vnde S. August. l. 13. Trinit. q. 14 tom. 3. *Iustitiâ Christi victus est diabolus; qui, cum nihil morte dignum in eo inueniret, occidit eum tamen: Et utique iustum est, ut debitores,*

quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit. Ideò Dominus Ioan. 12. *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Et, Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me. At exaltatus est in cruce: ergo sic homo est è potestate diaboli creptus.*

II. Quin & A POENA PECCATI sumus liberati. Nam, Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, culparum; & dolores nostros pœnarum ipse portavit.* Idque, ait D. Tho. 3. q. 49. a. 3. dupliciter: *Directè; quatenus Christi Passio fuit superabundans Satisfactio pro peccatis vniuersis: qua exhibitâ, reatus tollatur necesse est. Indirectè; quatenus Christi passio est Causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus pœnæ.*

QVÆSTIO LXI.

Ecquid ergo contulit Christus ad hominum iustificationem?

LYTHERVS Comment. in Gal. 2. *Sicut Sophista dicunt, Charitatem informare & imbuerè fidem; Sic nos dicimus, CHRISTVM informare & imbuerè fidem, vel formam esse fidei, Ergo fide apprehensus, & inhabitans Christus, est iustitia Christiana, propter quam nos Deus reputat iustos, & donat vitam æternam.*

2. MELANCHTHON in Confess. Augustana. c. 4. *Propter Christi meritum iustificamur; non propter fidem ipsam: Fide tamen misericordia Dei apprehenditur.*

3. OSIANDER in refutatione contra Melanch. vult, *Inhabitanti nobis iustitiam Christi, nostram esse iustificationem.*

CALVINVS, Neutrum illorum agnoscit: *Sed solam peccatorum Remissionem esse iustificationem nostram.* Patebit part. 4.

AVTOR. AT nos docemus iustificari homines per infusam, ac in hærentem nobis iustitiam; idque propter merita Christi Passi: Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. *Vnica formalis causa est iustitia Dei; Non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit. Quâ videlicet ab eo donati, Renouamur spiritu*

ritu mentis nostra; & non modo reputamur sed verè iusti nominamur & sumus.

QVO Impudentior calumnia est CALVINI dum in Antidoto ad Sess. 6. Tridentini, ait, duas causas iustificationis constituunt. Vnam, Remissionem peccatorum, siue Imputationem. Alteram, Regenerationem spiritalem, siue inhaerentem Iustitiam. Ego dico: Una simplex causa iustificationis est Remissio peccatorum.

AUTOR. AT Cur Idem, Instit. l. 3. c. II. §. 2. sibi contrarius, ac isti, sic statuit? Nos iustificationem simpliciter interpretamur Acceptationem, qua nos Deus in gratiam receptos pro iustis habet; eamque in peccatorum Remissione, ac iustitia Christi Imputatione positam esse dicimus. Id quod ibidem, §. 3. sic declarat. Iustificare nihil aliud est, quam eum, qui reus est, tanquam approbatam innocentiam à reatu absoluerit. Cum nos itaq; Christi intercessione iustificet Deus; non propria innocentiam approbatione, sed iustitie imputatione nos absoluit, ut pro iustis in Christo censamur, qui in nobis non sumus.

Ex quibus necessariò consequitur, I. Quòd ibidem Calvinus, Instit. l. 3. c. 12. §. 4. cum Lutherano Kemnitio conclamat. Omnia opera hominum, secundum pretium suum, mera sunt pollutiones ac sordes. Idem c. 14. §. 9. Non potest ullum opus à Sanctis procedere quod non promeretur mercedem propriam Confusionem. Vel, ut vox Lutheri habet: Iustus in omnibus operibus iustus peccat mortaliter. 2. Quin, Deus cogit ad peccandum: patet supra q. 18. 3. Nihilominus tamen nil nocere volunt peccatum præordinatis ad salutem, quot, qualia, quantacunque possint peccare. Ut quæ omnia eis non imputentur, & in eis tecta sint, etsi non sublata.

Euge, age sic, quod libuerit: Potes ca-

pere specialem prædestinationis Fidem? certus esse salutis debes. Nec enim fallere Dei prædestinatio potest. Sic vivere, sic Credere Calvinianum est; sicque Mori, teste Caluini exitu: Qui fidenter vixit: at *Demonibus inuocatis*, ait Bollecius in vita Caluini cap. 22. *iurans, execrans, et blasphemans miserè expiravit. Cuius illi testimonium perhibere, qui decumbenti ad extremum usque habitum ministrare. Imò hoc etiam, quod diem atque horam detestatus sit et execratus, quam unquam studiis vel descriptionibus impendisset.* Iusta iudicia Dei! Quia talium peccata præcedunt ad iudicium. Quin ipsi sibi sunt iudices; Quæ euehunt ac prædicant, deiiciunt eadem ac pessundant passi Merita Christi.

De quibus Nos ita credimus ac docemus, ex D. Th. 3. q. 49. a. 4. Passio Christi est causa Reconciliationis nostræ dupliciter. I. Remouendo peccatum, quo constituimur inimici Deo. Nam, Sap. 14. *Similiter odio sunt Deo Impius, & Impietas eius.* Plal. 6. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* II. Sacrificium exhibendo ei acceptissimum, cuius proprius est effectus, Placare Deum, ad Remittendum peccatum. Vnde Rom. 6. *Reconciliati sumus DEO per mortem Filij eius.*

Atque ita cœli ianuam nobis reserauit remouendo duplex obstaculum: I. Peccati originantis; post quod, Gen 3. *Deus collocauit Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* 2. Peccati Actualis cuiuscumque; dum poenitens communicat Christi passioni per Fidem & Charitatem, & Sacramenta. Vnde Hebr. 9. dicitur: *Per proprium Sanguinem introiuit semel in*

Sancta, eterna Redemptione inuenta. Ideo & nos, Hebr. 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi. Sic nostra nobis constat Iustificatio.

QVÆSTIO LXII.

Quibus speciatim prodest ea Redemptio Christi Passi?

NON omnibus. Ita CALVINVS contra Heshufium pag. 39. *Non est crucifixa pro impiis Caro Christi, nec pro eorum expiandis peccatis effusus Sanguis.*

AVTOR. Atqui Iesus ait: Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et Apostolus, I. Tim. 5. *Veni in mundum peccatores saluos facere; quorum primus sum ego.* Atque idcirco, Tit. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.*

2. BEZA in Colloq. Mompelgart. pag. 522. *Deus in aeterno & occulto suo consilio decretum immutabile fecit, quod maiori hominum parti nolit pretium Sanguinis Christi prodesse.*

AVTOR. At vnde constat Beza consilium istud atque Decretum illi contrarium, Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris; sed magis ut conuertatur à viis suis, & viuat.* Quia tamen affirmat, constabit ei ex illo, qui ait: 3. Reg. 22. *Ego decipiam. In quo? Egrediar, & ero spiritus in eadax in ore omnium prophetarum eius. &c.*

II. CALVINVS contra Heshufium: *Christus, si cui mortis suae profuit, solis Electis, solis fidelibus profuit.* Quia, ait BUCERVS. *Christus tantum morte sua Electorum peccata expiavit.* Ita iste in Ioann. pag. 522. Vide Schüsslerbargium in Theol. Calu.

Et verò plaustris librorum persuadere mundo Calvinistæ conantur istud; *Electi & Fidelis sunt non Pa. istæ, non Lutherani. &c. sed Calvinistæ.* Proinde BEZA in Conf. ss.

fidei Geneuen. c. 4. §. 20. *Vel sola fidei scintilla verè nos de salute securos reddit.* Calvinus Instit. l. 3. c. 2. §. 19. *Cum primum vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem placidam cerro intuitu incipimus contemplari. &c.* Ibid. *Nobis per Spiritum Sanctum Designatur, & Reuelatur de Dei beneuolentia Certitudo. &c.* Idè idem Confidenter diabolo & morti insultant.

AVTOR. Ista seipsum iugulata ferunt obuiam cuique inhærentem sibi ipsis mucronem suum. Sed ego ad locum de Iustificatione eorum differo confusionem. In præsens tamen notasse discrimen Lutheranos inter & Calvinistas, pretium fuerit.

LUTHERANI pertendunt, in Iustificatione cuiusque requiri Fidem; (sed quæ solum in promissam Dei misericordiam respectet: *Vi fides sit Fiducia in Voluntate.* **I.** CALVINIANI Contra volunt eundem respectum ad Misericordiam; Sed non cum Fiducia voluntatis; veritæ certa cum scientia Intellectus, & fide speciali cuiusque de suapte iustitia & Iustificatione: Et sic fidelibus proficere aiunt Christi passionem; nec vllum nocere peccatum. Bonis operibus verò, inquit, Calvinus Inst. l. 3. c. 15. §. 1. *Fideles merentur nihil quicquam;* (quod Lutherani concedunt) *sed à Deo merces eis Donatur.*

2. Porro è contrà: Quia asserit, certitudinem in cordibus electorum obfirmari; idcirco & Fiduciam requirit, Instit. l. 3. c. 2. §. 16. vbi §. 8. *Fides, ait, magis est assensus cordis, quam cerebri; animi, quam iudicij.* Quò rursus cum Lutheranis consentit, contrà prædictam suammet definitionem. Ita tuos circummagit spiritus vertiginis.

Quam duplici lingua viri quia desiderera-

deratur adhuc categoricum responsum ad quæstionem nostram: illud ecce tibi. Quæris: Qui quot Calvinistæ saluantur per Christi Redemtionem? Ecce tibi

III. CALVINUS in 2. Pet. c. 1. v. 2. *Necque omnes, scilicet Calviniani, sed ex toto Corpore vix paucissimi. Vix enim decimum quemque reperies, qui alio sine Evangelio nomen dederit scilicet Calviniano, quam ut solutus in omnē lasciviam distineret.*

AUTOR. Sed accubi ante Calvinum ista talis lecta fidelium delituit Ecclesia?

Apertè respondet Sadeel contra theses Posnanienfes de Ecclesia. cap. 8. *Istorum in deserto (forè montis Caspii sinu clauso) delitescunt, ab annis mille trecentis, nec fructus nec folia extiterunt.*

O maledictam ficulneam, ut quid terram occupat?

Et tamen hisce pauculis Calvinistis, scilicet, ut Christus acquireret Non veram aliquam ac realem Remissionem; sed *Non imputationem* duntaxat peccatorum; (Quibus tamen necessariò inquinantur, ut quæ nullo modo deuitare possint; sed in iis altissimè demersi perpetuò immorantur, ac immoriuntur) eam, inquam, ob causam Christus necesse habuit sustinere immentos, non in Corpore solum cruciatus; sed in Anima quoque eum damnati & perditì hominis supplicia perferre oportuit: Quæ multis suprà sunt testimoniis Calvini & assecularum stabilita. *Dira Redemptio!*

IV. CALVINISTÆ. Tam operosa est in iis, efficaxque ea *Non imputatio*; ut per illam ipsa FIDES SPECIALIS conferatur, à qua excidere nunquam possunt.

I. Ita CONFESSO GENEVENSIS cap. 4. §. 20. *Fides à Perseuerantia dono nunquam*

diuelli potest. Qui vel semel totà vità senseris vera fidei testimonium, de ea securus esse debet, non Permanente tantum, sed etiam Permanensura.

2. ZANCHIUS in Miscellaneis: *Aliter qui docet; totius Evangelij scopum evertit.*

3. BEZA in Confess. pag. 17. *Contraria sententia monstrum est.*

4. Idem in Colloq. Mompelgart. *Qua Fides, ut de sua eos electione reddat certissimos; ita, etiamsi in peccata contra conscientiam & omnia scelera flagitiosissima sese per omnem vitam ingurguent; de aeterna beatitudine tamen securissimos præstat. Ideò, Apoc. 3. Dicis, quia diues sum, & nullius egeo: Et Nescis quia tumifer es. &c.*

AUTOR. Ita quidem Calvinistæ prædicarunt, ac prædicant: sed veræ notæ conditionesque Ministerii prædicationis eos deserunt; de quibus Marc. 16.

1. *Quòd non Votique:* 2. *Nec Damna cooperante:* 3. *Nec Sermonè confirmante:* 4. *Neque Sequentibus signis ad illum.*

Quin potius ista subsecuta est desolatio & abominatio, qualem prædixit Dominus in Templi euastatione futuram; Luc. 21. *Multi Lutherò Calvinistæ &c. venient in nomine meo, & dicent; 1. Ego sum: Nolite sequi illos. 2. Audietis prælia & seditiones; nolite timere: 3. Surget gens contra gentem, & regnum contra regnum. 4. Erunt terremotus, pestilentia, fames, terroresque de caelo, & signa magna. Veræ hæ notæ & signa hodiernæ sunt perfidiæ hæreticæ, orbem imperiumque infestantis.*

QVÆSTIO LXIII.

An Christi ad inferos damnatio sit nota ab inferis liberatio?

CALVINUS quidem huic infernali pœnæ nostram ferè totam Redemtionem ad-

N 2 scribit,

scribit, aded vt sine descensu cruciatuque Christi tali mors in cruce nullius fuisset pretii aut valoris. Ita Instit. lib. 2. c. 16. §. 10. *Nihil Actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus. Sed opera simul pretium erat, vt diuina ultionis seueritatem sentiret.* Plura superius vbi de descensu tractauimus, quest. 52.

AUTOR. I. Atqui S. Scripturæ, ait *Bell. l. 4. de Christo c. 8.* totam salutem nostram tribuunt Sanguini, Mortique corporali Christi: & post mortem nihil agnoscunt vltioris pœnæ. Ecce Phil. 2. *Factus obediens vsque ad mortem. Quid postea? PROPTER quod Deus exaltauit illum. Luc. 24. Nonne oportuit Christum pati: Quouique, & quid deinde? Et sic intrare in gloriam suam?*

Ecce nunc de Sanguine. Eph. 1. *In quo habemus Redemptionem per Sanguinem eius. Coloss. 1. Pacificans per Sanguinem crucis eius, quæ in cælis, & quæ in terra sunt. Hebr. 9. Per proprium Sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna Redemptione inuenta. &c.* Quare totum actum peractumque fuit in cruce; vt post mortem sola cum maneret gloria resurrectionis: postquam *Christus iam non moritur, nec patitur.*

2. Neque vllus Scripturæ locus, non dico sufficiens; sed nec probabilis afferri potest pro inferni doloribus ab Christo, exanclatis? quin nec gustatis. Vnde S. Cyrillus Catechesi 14. *Exterrita est Mors, videns nouum quendam descenditatem in infernum, vinculis, quæ illic sunt, non ligatum.* Ambr. lib. de mysterio Palchæ, cap. 4. *Vinctas peccato animas, Mortis dominatione destructa, à diaboli fancibus reuocauit ad vitam: atque ita diuinus triumphus æternis characteribus est conscriptus, Quam*

ista procul ab Caluini abhorrent blasphemia? Sed ea clarius elucidabit quaestio de Mediatoris officio.

QVÆSTIO LXIV.

An Christus secundum solam Humanitatem sit Mediator?

FRANC. STANCARVS Lutheranus, soli humanæ naturæ Christi tribuit Mediatoris officium & Aclus. Qui est Nestorianismus, duas in Christo Personas distinctas constituens: Communisque est Luthero-caluinistis error; Vt supra liquet q. 22.

1. Quoad Mediatorem tamen quidam Lutherani, Caluinistæ omnes ab Stancarianis secessionem faciunt, Ita ve d Stancarvs lib. de Trinit. & Mediar. ait *Dignitatem precum Christi non fuisse à solo Filio, sed à tota Trinitate sic ordinante & acceptante.* Item ibidem dicit: *Humana in Christo natura est Mediatrix, pacificatrix &c.* Nihil tribuit diuinæ hypostasi, cui tamen omnia redemptionis opera sunt tribuenda principaliter; non tamen Formaliter; Idem lib. de officio Mediatoris. *Sacerdos & Sacrificium est homo Christus; non Deus Christus.* Infra explicat: *Ratione spiritus, Christus est Sacerdos; ratione Corporis & Anima, Victimam est.*

2. Fundamentum erroris aperient Frid. Staphylus lib. de Concordia discipulorum Lutheri, & Lindanus in Dialogo 2. Dubitantii: Christum asserunt esse iustificatorem secundum solam Humanitatem; Quia fingunt non formaliter iustificari per Christi iustitiam imputatam nobis, ac obedientiam; quæ Hominis Christi est solius.

AUTOR. I. Isti voce Personam in Christo ponunt vnam; at reipla duas cum Nestorianis.

1. Nam si natura humana sola peregit opera ea satisfactoria; igitur per se existeret, distincta ab diuino Supposito. *Agere enim Suppositorum est.*

2. S. Scriptura Deo tribuit Mediatoris opera. Act. 20. *Ecclesiam acquisiuit Sanguine suo.* 1. Cor. 2. *Dominus gloria crucifixus dicitur.*

3. Mediatorem agere, est Medium esse Deum inter & hominem: Sed Is nec Deus est solus in Christo, nec Homo solus: ergo vterque simul; Deus vt principium

pium Quod; vt Quo, Homo. Ita S Patres apud Bellarm. & Theologi 3. Sent. d. 19. & D. Th. 3. q. 26. a. 2.

II. Solus igitur Christus propriè & immediatè perfectus est Mediator, i. tum Supplicationis, orando & supplicando pro nobis apud Patrem. Vnde I. Ioa. 2. *Aduocatus noster est*: & Rom. 8. *Interpellat pro nobis*. 2. Tum Redemptionis de suo immediatè soluendo pretium, ac Satisfaciendo Patri pro nobis. Vnde passim dicitur *Hostia pro peccato*. Et I. Timoth. 2. *Vnus Mediator Dei & Hominum, Homo Christus Iesus*: Causam addit: *Quia dedit semetipsum redemptionem pro mundo*: Non se merù hominem: Nam, 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*.

Et sic, Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*. Et quidem perfectè, ac immediatè, Hebr. 7. *Homines Deo reconciliauit, per semetipsum accedens ad Deum ad interpellandum pro nobis*.

I. Esto: Rom. 8. *Sp. Sanctus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & interpellat pro nobis*: Itemque & Angeli, Tob. 12. Dan. 10. Apoc. 8. Seu & cæteri Diuorum: At nullus de suo, ex sese, nos redemit, vt Christus. 2. Deinde etiam Angelorum, aut Sanctorum *Nemo*, Ioan. 14. *venis ad Patrem, nisi per ipsum Christum*. 3. De ipso, quà Deo & homine, dicitur: Psal. 100. *Redemptionem misit populo suo; vt det illis hereditatem suam*. Ipse, Luc. 1. *Fecit Redemptionem plebis sue*. Quod si igitur benè vereque S. Bernardus vocet *B. V. Matrem Mediatricem ad ipsum Mediatorem Christum*; quanto magis id de Cœlituum cæteris sentiē-

dum est, atque tenendum? Plura in *Antichristo p. 1. quæst. 16*. Et in *Geneal. quæst. 18*.

QVÆSTIO LXV.

An Mediator sit Christus secundum utramque Naturam?

LUTHERANI; Vt, KEMNITIVS libi de duabus naturis; inter absurdas refert, & meritò, sententias, dicere, *Christum Mediatoris exercere officia secundum Humanam naturam tantum*. MELANCHTHON in locis e, de Filio, ait: *Deitatem Filij obedisse Patri*. Idemque asserit Liber CONCORDIÆ pag. 556. &c.

CALVINISTÆ, contendunt idem, scil. *Secundum Diuinam ac Humanam naturam agere Christum Mediatorem*. Ita CALVINVS epist. duabus ad Polonos, Tigurini, Bullingerus, Martyr. &c. Liqueat ex eo, 1. *Quòd profiteantur se dissentire ab Magistro Sentent. & Scholasticis*. 2. *Quòd distinguant opera Mediatoris*: 1. *Quòdam esse Humanitatis, quoad rem: Diuinitatis, quoad efficaciam: vt Pati, Mori*. 2. *Quòdam solius esse Diuinitatis; vt illuminare mentes, peccata dimittere, offerre Sacrificium*: 3. *Quòdam solius Humanitatis: vt esse Victimam*. Vnde Calvinus epist. ad Polonos: *Est Pontifex & Sacerdos Diuina natura, Sacrificium verò Humana*.

SVADENT istis. 1. Ioan. 8. *Ego pono Animam meam*. Hoc, ait CALVINVS epist. ad Polonos, dicit vt Deus: Homo enim non habet arbitrium vitæ ac mortis; sed Deus. 2. *Quia 2. Cor. 5. Omnia ex Deo qui nos reconciliauit sibi per Christum. &c.* At Reconciliare, exhortari, pacificare, actiones Mediatoris sunt: Ergo Christus, vt Deus, Mediator fuit. 3. Hebr. 4. *Habemus Pontificem, qui penetrauit cælos*. Hebr. 7. *Sine patre, sine matre, sine genealogia*. Sic natum esse, sic penetrare cælos Dei est solius, non hominis: Ergo Mediator est quà Deus solum. 4. *Quia, Dare Sp. Sanctum, Docere. &c.* sunt solius Dei, & Mediatoris. 5. *Quia Christus fuit Caput Angelorum & hominum: vt,*

N 3 Col. 1.

Col. 1. *Primogenitus omnis creatura*; Idque etiam ante lapsum: quod Mediatoris est. Atqui tunc solus Deus erat, nondum homo. Ergo. Quæ ex Patribus bona malè allegant, refutata vide in *Bellarmin. libr. 5. de Christo cap. 7.*

AUTOR. Atqui verò istud Arianū est, simulque Eutychanum. Vide in mea *Genealogia par. 1. q. 18.* Hoc autem solum orthodoxum est: *Principium Quod Mediatoris opera operatur, est Suppositum Christi totum, quæ Deus & Homo: Formale autem Principium Quo ea peragit Christus, est sola Humanitas, non Diuinitas. Quia cum vna solū in Christo sit Persona, huius solius est proprium Mediari; sed sub principio formali Humanitatis solius, quæ est vnita Diuinitati; non quæ sola spectatur.*

I Ecce, 1. Tim. 2. *Vnus Deus, Trinitas peccatis læla: Vnus & Mediator DEI & hominum: quatenus? Homo, scilicet. secundum naturam humanam, sed vnitā Deo; ideo addit, Christus IESVS, quæ suppositum vnum.*

2. Mediator est inter duos vnitor, inter Deum & hominem: cum igitur nec Deus ipse sibi, nec Homo merus Deo & sibi posset mediari; necesse erat id relinqui vni Homini qui vnitus esset Deo, qui & hominibus nosset compati, & posset adire Deum per semetipsum, placare que SS. Trinitatem læsam.

3. Quod si Christus, quæ Deus, foret Mediator cum Deus Vnus sit trinus, tres forent Mediatores, scilicet tres Personæ. Nam cum *opera Diuinitatis sint indiuisa*, hoc Mediari, ex æquo tribus conuenire oporteret. Quod absurdum dictu, ac infandum est.

4. Denique, Sacrificare, & eo satisfacere

Deo, Mediatoris est; & Deo minoris; vt fatentur Sectarii: Idemque verò est & solius Hominis. Nam Deum, aut Diuinitatem facere Sacerdotem, Arianismus est: Cum Sacerdos minor sit illo, cuius est Sacerdos, scilicet Dei. Vide S. Patres apud *Bellar. l. 4. de Christo c. 5.*

Obiectiones Luthero caluinist affectatè non distinguunt inter opera Personæ, & Naturarum singularum in Christo. Vide in meo *Antichristo p. 1. q. 16.* Attramen ad singulas aliquid:

DICO AD I. Cum ponere animā, & resumere, sit mori & resurgere; hæc hominis sunt, non Dei: Ita S. Patres. At potestas eam ponendi ac resumendi, est Dei, dataque Christo homini ab Deo. Vnde homo, non Deus, est Mediator.

AD II. Non sunt ea semper Mediatoris. Nam qui tertius alterum cum altero reconciliat; Mediator est: Qui vero se cum altero reconciliat, is non est Mediator vllius. At *Deus reconciliauit nos sibi* PER Mediatorem, Christum hominem; ita & Christus quæ Deus, fuit reconciliatus, non reconcilians.

AD III. Ea probant Diuinitatem Christi: non Mediationem. Et quæ homo non quæ Deus, penetrauit cælos: nec quæ homo, sed quæ Deus, caret matre. Neque tamen illa sunt absque Potestate diuina.

AD IV. Dare Sp. Sanctum Meritoriè, est propriè Mediatoris; non formaliter Dei: at dare efficienter, vt Autorem doni, hoc Dei est solius Trinuni. Sic & docere intus illuminando, Dei est: hominis, exterius formando.

AD V. Ante lapsum Christus, quæ Deus, fuit Caput Angelorū, vt & Pater & Spi-

& Spiritus : non tamen Mediator. Sic enim Trinitas fuisset Mediatrix. At *Christus homo*, 1. Tim. 2. *Mediator est Dei, & hominum*; non Angelorum. *Dein*; dicere, Christum, quò Deum, fuisse Adæ, esseque nobis Mediatorem; est eum facere minorem Patre: qui Arianismus est. At *Primogenitus est Patris naturaliter aeterno*: *Creatura*, intentionaliter, Prou. 8. *antequam quicquam faceret à principio*. Et hæc mens est S. Patrum.

QVÆSTIO LXVI.

Quomodo resurrexit IESVS?

LUTHERANI VBIQVISTAE, de quibus supra *quest. 20*: haud grauatè ista nobis vltro quasi obtrudunt talia: *Christus non resurrexit à mortuis*. Nec enim è sepulcro exiit unquam; sed solum extra sepulcrum sese manifestauit; cum ibidem tamen inuisibiliter permaneret.

AUTOR. Hoc Portentum fundit Ubiquitas: Simile isti, *Mortua est Diuinitas*. Qui, supra *quest. 16. & 43*. passim ac mortuam blasphemant Diuinitatem Christi; ecquam obsecro, assererent resurrectionem? A qua Diuinitate reuocata in vitam Christi credetur Diuinitas? 1. An ab alio realia Patris? Et quidem Patri soli propriè vocem, DEVS, in Scripturis conuenire pertendunt, supra *q. 8*. Christum autem verum credi Deum oportere dissentur, *q. 31* vt in *quæ. q. 10*. Nomina veri Dei minimè satis quadrerit. 2. An ab æquali Sui Deitate resuscitata Christi extitit Diuinitas? At æqualem nescit; Vnam eandemque solam veram, adorat veritas Christiana. Quid ergo, Lutherani, vobis videtur de Christo?

RESP. SCHMIDELIUS in *polog. ad Theses Ingolst Caro Christi sensam, secundum Humanitatem, excelsissime credenda est.*

AUTOR. Planè ita est: *Incidit in Scyllam, & in Charybdis.*

2. BRENTIVS in sua Recognitione, ait: *Quoad resurrectionem, inter Petrum & Christum, nullum est discrimen. Imò penè admirabilior est Petri, quam Christi.*

AUTOR. Dixit: nil docuit: Nec, quod dicere infandius posset, fingere sciuit.

II. CALVINISTÆ altius sapere videri volunt. Ac principio DE SANGVINE Christi profuso.

CALVINVS in Matth. 26. *Furunt, & cum ratione insaniunt, qui docent Christi Sanguinem cum eius Carne nunc esse coniunctum. Quianam? SADEEL in 2. Indice errorum Gregorii de Valentia: Christum, ait, resumpsisse Sanguinem, ex Scripturis probari non potest. CVREVS in Spongia causam suggerit aliam: Quia Dissipatus est statim, cum effusus est. ERASTVS in fundamentali declaratione pag. 29. In terra computruit; non est in rerum natura amplius.*

AUTOR. I. AT verò argumentulis & fabulamentis eiusmodi perinde iam demonstratum foret; nostrorum humi consumtorum corporum resurrectionem impossibilem esse.

2. Adde: Eccubi locorum vsquam in Bibliis ostendetur vel per umbrā; Christum absque Sanguinis fusi resumptione resurrexisse?

3. D. THOMAS autem *p. 3. q. 54. a. 2.* planissimè docet: Etsi Corpus Christi in resurrectione alterius fuerit gloriæ; non tamen alterius naturæ fuit, sed eiusdem: ideo quicquid ad naturam corporis pertinet, id omne Domino adfuit resurgenti: Pertinent ad eam erò carnes, ossa & Sanguis: quare absque omni talium diminutione integrum resurrexit.

4. Porro idem docet alibi. 1. q. 119. a. 1. c. quod duplex homini sanguis inest: *Necessarius ad integritatem pertinens naturæ; & Nutritionalis, qui ex cibo potuque*

tuque accedit: sine quo homo esse quidem homo potest; sed non superuiuere diu. Hunc in resurrectione omnem retulisse, minimè necesse fuit; eo quòd ad naturæ integritatem minus requireretur. At Necessarium illum, ad Humanitatis integritatem ad Corpus quoque refurgentis oportuit reuerti.

5. Specialiter, ait, idem in *Quodlib. 5. quæst. 3. a. 5.* de Sanguine in Passione fūlo, pro redemptione nostra, DICENDVM est; Quòd totus in resurrectione ad Corpus redierit. Triplici ratione.

1. *Ob Aetatem patientis* perfectissimam, cui nihil deesse perfectionis humanæ potuit vel debuit.

2. *Ob Meritum*; si enim ex Martyrum partes, in quibus pro Christo passi fuerant, quendam priuilegiarum fulgorem in resurrectione habēt; teste *S. Aug. lib. 21. Ciuit.* quantò magis Christi Sanguis ad gloriosam resurrectionem est reparatus?

3. *Ob Virtutem Passionis.* Sanguis enim ille fusus humanum genus sanctificauit; iuxta Hebr. vlt. *Iesus ut sanctificaret per Sanguinem populum suum, extra portam passus est.* Habuit verò Sanguis Christi vim salutiferam, ex Verbi sibi vniti virtute, vt ait *Damasc. libro 3.* Qua causa eundem ad Corpus redire necesse fuit. Hæc de Sanguine.

Porrò de ipsius RESUSCITATIONIS MODO.

III. CALVINVS in Ioan. c. 20. vers. 19. *Christus seipsum in Vitam Reuocare NON potuit; Dei Patris interuenire operam oportuit. Absurdè facit Christus, cùm propria sibi resurrectionis gloriam vendicat.*

AUTOR. AT ipsa te Veritas refutat, Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me;*

sed Ego pono eam; & iterum sumo eam ad me. Ioann. 5. *Sicut enim Pater suscitauit mortuos & viuificat: sic & Filium, quos vult viuificat.* Vide D. Thomas 3. quæst. 53. a. 4.

2. CINGELIVS tom. 2. in respons. ad Lutheri lib. de Sacram. fol. 405. *Christus è monumento, eo egressus est modo, quo crassus etiam Lutheri prator, rubras indutus caligas, egredi potuit.*

3. P. T. MARTYR lib. de Euchar. *Christus Angeli, qui lapidem à sepulcri ostio remouerat, auxilio indigebat.* Sic & Gualtherus hom. 133. Probabilem hanc sententiam iudicant Calvinus *Instit. libr. 4. c. 17. §. 29.* & BEZA *libr. de omnipresensia carnis Christi contra Brentium.*

AUTOR. 1. Verè Lutherani in Colloq. Mompelgart. anno M. D. LXIV. exclamarunt ad talia: *Caluinista præ cæteris, Nihil diuine gloriæ relinquunt Christo; eum de Throno Maiestatis detrahunt & deturbant; nudum illi nomen & appellationem summæ Maiestatis tribunt; reuera autem NIHIL.* Sed

Va tibi Tu, nigra dicebat cacabus olla.

Sic sathanam sathanas culpat; Cornicula coruum.

2. Nimirum isto fūco, Dominicæ per fores clausas penetrationi facere licebit eis fucum auricalchium. Ideò procaciter CALVINVS in Ioann. c. 20. v. 19. *Verum esse minimè concedo, quod asserunt Papiste, Christi Corpus penetrasse per ianuas clausas.* Papæ! Quis vnquam audiuit talia?

Sic: BEZA causam dicit in Ioann. cap. 20. *Vel sponte patuerunt Christo fores: Vel ipsæ etiam parietes ei fuerunt peruij. Cùm ista non fuerint ei difficiliora, quam super aquas ambulare.*

AUTOR. Ehem BEZA! Siccine tuum

tuum tu castigare Magistrum? Vel obclamantem audi. Hoc, inquit, ideo contēdunt ut Corpus gloriosum non modo simile reddant spiritui; sed immensum esse, nulloq; loco contineri obtineant. At quid pro eo contendamus obtinendo; quod corpori debet glorioso S. Patres affirmant, & Beza tuus? Quid, quod illud tuum figmentum mendacio cumules, atque calumnias vel in ipsos S. Patres impacta? Hi cum Paulo credunt, 1. Cor. 15. *Resurget corpus spirituale, omniumque penetratium.*

Atat cum ratione etiam mentitus esse videri appetit.

1. Nil tale sonant verba, inquit: *Quia non dicit Euangelium, intrasse per ianuas clausas; sed repente stetit inter Discipulos, cum tamē clausa essent ianue; nec aditus illi esset patefactus manu hominis.*

AUTOR. Mentitus nunc etiam es Spiritui Sancto, qui per Euāgelistam dixit: *Venit ianua clausis.*

2. Instat exemplo: *Scimus Petrum ē carcere obserato egressum esse: an ideo dicendum erit, per medium ferrum & asseres penetrasse?*

AUTOR. Sycphantiam adiicit mendacio. Nec enim Scriptura dicit exisse Petrum foribus clausis; sed Act. 12. *Porta ferrēa ciuitatis vltro aperta fuit.*

3. CALVINO sui succenturientes operā locant vicariam; hisque dictitantibus, *se se per fenestram iniectisse Christum: aliterque alibi que aliis aliis verò, pulsanti apertum fuisse, sicq; introisse: Ipse demū Choragus ita determinat: Querere necesse non est, quemadmodum intravit: sat fuerit, constare, quod non per ianuas clausas sese penetravit.*

Finiam nunc ego vel ipsiusmet totidem verbis Caluini.

Facebant ergo pueriles ista argutie, qua nihil prorsus habent solidi; & multa secum trahunt deliria.

AUTOR. At quiverò, 1. Iste per fores clausas ingressus docet Dominum sepulcro clauso resurrexisse; 2. Vtvero Virginis clauso exisse; 3. Verè super aquas ambulasse cum Corpore vero: 4. Per medium eorum transisse lapidare eum volentium; 5. Lazarum mortuum dicto Christi paruisse ligatisque manibus & pedibus produisse. 6. Coelos Christu ascendentem penetrasse. Non hæ pueriles argutie sunt, aut deliria: Non.

2. Deliravitne S. Chryl. hom. 89. in Ioann. *Admirandum, ait, quod phantasmæ esse non sunt suspicati.* S. Aug. tract. 12. in Ioann. *Moli corporis, ubi Diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit; quo nascenti Virginitas Matris inuiolata permansit.* S. Greg. hom. 20. in Euang. *Quid mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam, in æternum iam victurus, intrauit; qui moriturus, viuens non aperto Virginis utero exiit?*

3. Ad vltimum suis ipse CALVINVS fenestras, pulsationes, apertiones, fabulantibus ita responsat: *Sic habendum est: Christum non sine miraculo ingressum esse; Vt documentum cederet suæ Diuinitatis: quò suos Discipulos magis attentos redderet. Rectè seipsum refutauit. Cætera repete ex Antichristo meo. p. 1. q. 17. Et Genealog. p. 1. quest. 19. Et D. Thom. 3. quest. 54. a. 1. ad 1. & 2.*

QVÆSTIO LXVII.

An Christus primus ad Cælos ascendit?

LUTHERANI plerique: Vt Marbachius libr. de Cœna Dom. Argentinz excuso, fol. 150. &c. & in tribus concion. de Ascensione. 1. *Christum in cælum ter ascendit; bis verò, semel imaginaria.*

O Ex.

Explicat id Illyricus libr. de omnipresentia carnis
Christi; BRENTIUS in Catechesi anni 1. & in Lu-
tan hom. 20. Loffius in Matth. c. 26. Schmidelinus.
&c. 1. Verè ascendit, ait, in Conceptione, & cum in
vtero materno humana natura unita Diuina, & Verè
Conceptum est. Fuit enim humana natura ab initio
inca natiua in celo, & ubique. 2. Verè ascendit ait,
Matth. eius ubi supra: Cum formam serui deposuit in
cruce, emisso spiritu. 2. Imaginarie ascendit quatra-
gesimo à resurrectione die.

2. Is autem ascensus Christi quadragesimo post Pa-
scha die fuit tantum Dispensatio. Ecquid istud; Di-
spensatio? Exponit BRENTIUS in Recognitione sua
Pag. 167. telle Beza in respons. ad Acta Colloqui Mompel-
gart. Fuit externum spectaculum usque ad nubes.
Vel, ut Marbach. us ibid. & Audi Musculus, Concordia
Beigenlis compater in art. de Coena Dom. Fuit dispen-
satio, & visum quoddam.

3. Itaque ait Schmidelinus in Thesib. Wittenberg.
anni 1. 80. Thesi 287. Christo, ut ad Patrem veniret,
nec latum quidem vnguem aut pilum à terra recedendum
fuit.

CALVINUS in Luc. c. 16. Item in Psy-
chopannychia: E. B. ZA lib. 2. contra Be-
ctium de Christi Mueitate par. 2. Et perau-
lgatum est dogma Calvinistarum tale: Chri-
stus non fuit primus, qui caelos penetrarit. Iusti
omnes Veteris Testamenti hac vita soluti in iis
ipsis Beatorum sedibus, immane quantum ante
illum recepti sunt.

Neque LUTHERUS abhorret ab hoc
pseudocanonismo: patebit infra.

AUTOR. Duæ hic triuiales occinū-
tur contilenæ: Vbiquitaria Lutherano-
rum altera; altera de Subaltariis in coe-
lo Calvinianorum, de quibus q. 55. & 73.

VBIQVISTÆ Christum in Concepti-
one caelos petisse nugantur eò, quòd vi-
nita cum Verbo Humanitas continuò
cum eadem esse coeperit ubique; ac
proinde & in coelo, velut Deificata. Si-
militer post hoc, Pater in manus tuas
comm. &c. dictum factum fuisse. Quia in
commixtione Naturarum Christi per-
quam opus distinctione est.

QVÆRES igitur, Secundum utram
naturam Christus ascendit?

RESPOND. I. Quoad Conditio-

nem Ascendentis, cum ea sit Diuinæ na-
tura, Christus non potuit ascendere:
Tum, quia eidem non competit motus
localis; vt quæ implens omnia immo-
bilis sit, & illocalis. Humana verò Chri-
sti natura potuit ascendere; vt quæ &
Localis erat, & mobilis.

2. Quoad causam ascensionis, Chri-
stus ascendit virtute diuinæ solius, non
humanæ naturæ. Vnde S. Aug. serm.
176. de Tempore. tom. 10. De nostro
fuit, quod Filius Dei pependit in cruce; sed de
suo, quod ascendit.

Ecce propemticum Isaia, c. 63. Iste
formosus stola sua gradiens, in multitudine
fortitudinis suæ. Idest, vt ait S. Greg.
Rom. in Euang. Helias in curru legitur
ascendisse; vt videlicet aperte demonstraretur,
quia homo purus adiutorio indigebat a-
lieno. Redemptor autem noster non curru, non
Angelis subleuitus legitur: Quia, qui fece-
rat omnia, super omnia sua virtute ferebatur
diuinitus, vt Deus. Vide S. Th. 3. q. 57.
a. 30. Satis ista in præsens: mox cum
Vbiquistis pressius agamus.

II CALVINISTÆ duo asserunt. 1.
Christum non esse ascendentium primum.
2. Sanctos Veteris Testam. diu ante caelos
incoluisse.

AUTOR. O Biblicos, scilicet, Cal-
uinistas!

1. Quaro, Ephe. 4. Propter quod dicit,
Psal. 67. Ascendens in altum captiuam
duxit captiuitatem? Eequam isthanc?
Nisi de qua prædixerat Eccl. 24. Penetra-
bo; Coelos? Non; sed omnes Inferiores
partes terra, & inspiciam omnes dormientes,
illuminabo omnes sperantes in Domino. Hinc
in coelo degebant? Falsum igitur epi-
phonema foret Zachariae cap. 9. Tu in
Sanguine Testamenti tui emisisti Vinculos de
lacu

lacu, in quo non est aqua. Quis in caelo lacus? Explicat Oleas, cap 3 lacum: *De manu Mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua o Mors: morsus tuus ero Inferne.*

2. Vnde votum Zachariae, Luc. I. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Dictum factum; teste Apostolo, Hebr. 2. *Mortuus est, ut destrueret eum, qui habebat Mortis imperium, id est, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti.* Haec omnia, aliaque talia passim inferos, non caelos loquuntur. Vide plura supra *quest. 55.* & aliis isthic citatis locis.

3. Iam ex hoc; quod omnes descenderiat, reprobi in gehennam; Sancti in Limbum; Nec Paradisum quisquam intrarit, obstante Angelo cum romphæa flammea; Et, quod Sanctos eduxerit omnes Christus: ex hoc, inquam, sequitur; & Christum; ut primus fuit, qui è caelo descendit: sic & primum fuisse omnium, qui ascendit. Sicut est *primitiae dormientium ac resurgentium*; sic & ascendentium. Iuxta Ioan. 3. *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.*

Id quod eliquidat Apostolus, Eph. 4. *Quod a terra ascendit, quid est, nisi quia & descendit?* Glossa, scilicet, *secundum Humanitatem.* Nam ita S. Aug l 4 de Symbolo. c. 7. tom. 9. *Quis est, qui descendit? Deus homo. Quis est, qui ascendit? Idem ipse Deus homo.* Descendit Deus secundum exinanitionem, *formam serui accipiens*; Ascendit Homo, secundum plenitudinem perfectionis, & omnium consummationem: Et tamen utrobique

non nisi *Homo Deus Christus Iesus*: Deus, essentialiter, potentialiter, & ubiq; praesentialiter: Homo autem localiter. Hic quia c nstringantur Luthero-calumnistæ; eadem viri esse sophistæ proclamabunt: Sed ego te Iudicem appello, CHRISTE.

III. SCHARPIVS in Cursu Thol. f. & 21. controu. 2. ait: *Nos negamus ANIMAM Christi verè descendisse ad inferos: & asserimus immediate post mortem caelum ingressam esse.*

SVADET istis. 1. Quia Euangelisti descensum animæ silent.

2. Quia non descendit Deitate; quia hæc ubique est, nec locum mutat: Non Corpore; quia hoc in sepulchro iacuit: Non Animâ; quia hæc in paradiso fuit; ceu latroni promittit. Luc. 23.

3. Quia Christus commendauit Spiritum suum in manus Patris, vti & Stephanus: at huius anima statim euolauit in caelum: ergo & Christi.

4. Quia non descendit, 1. Vt victoriae gloriam ostenderet; nam sic Descensus fuisset initium glorificationis, non Resurrectio; quod absurdum. 2. Non ut ibi pateretur; nam in cruce consummatum est. 3. Non ut Patres è limbo educeret; nam hi non fuerant, nec limbus erat.

5. Quia per Adam, Rom 5. cõstituti iniusti protinus sunt è paradiso exclusi: Ergo per Christum constituti iusti protinus in caelum recipiuntur; in primis Christus.

6. Quidam Patres & Concilia articulum de Descensu suis in Symbolis omittunt, quia de reali descensu Christi non potest intelligi.

AUTOR. Christus secundum Animam verè descendit ad inferos. 1. Quia Matth 12. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti, ita Filius hominis in corde terre.*

INSTAT I. CLVINVS in psychopan. Venter ceti erat figura mortis. 2. Alii, *Cor terra*, est sepulchrum, auct.

DICO AD I. At cor terra non est mors: Dein Venter ceti similatur cordi terræ; ergo nec is figurabat mortem.

AD II. At vt cor est profundissimū animalis ac medium; ita infernus est terræ imum: sepulcrum verò est in superficie terræ. Ita S. Hieronym. *ibid. Iren. Tert. Ambr.*

II. Quia, Act. 2. *Non relinques Animam meam in inferno.*

INSTAT Beza, id est, *in sepulcro*: Animā, id est, cadauer. Sic in d. fensione contra Castallionem: *Hic a i de Corpore, & de Sepulcro, nemo dubitare potest, nisi velit meridiē cecutire.* 2. ψυχή, vt propriè animam, si significat tamen & Corpus: 1. Quia anima sumitur pro vita; at hæc quasi obruta sepulcro est æquè ac corpus. 2. Anima est pars pro toto, animam, id est, Me. 3. Leu. 21. *Super anima non contaminetur*, id est, super cadauere.

DICO AD I. Liquet Act. 2. ψυχήν propriè animam, ἀδύ infernum significare. *Ibid.* anima destinguitur contra Carnem: Vt *Nec Anima derelicta est in inferno; nec Caro eius vidit corruptionem.* Vox ἀδύs semper infernum significat. Ad confirmationem. 1. Esto; Et si raro: At Anima nunquam capitur pro cadauere; cum in hoc sit priuatio animæ: Nec vita est in sepulcro, cum corpus ibi careat vita. Ad II. Sic poneretur pars pro parte, anima pro corpore, cōtra grāmaticum. At hic opponitur carni: ergo propriè significat. Hinc & Ad III. liquet. Et anima in scripturis ponitur pro animali, sed cum adiuncto, *Viuentis, Eius. &c.* & significat animam sensitiuam; non, rationalem inextinguibilem.

III. Quia Rom. 10. *Quis descendit in abyssum, id est, Christum à mortuis renocare?*

Ergo post mortem in ea fuit. Fingitur à Caluino etiam viuens in ea fuisse, vt desperatus in statu damnatorum: ergo ante mortem descendisset. Et *Abyssus* hic opponitur cœlo, imū summo: Item Descendere in abyssum ponitur pro re homini impossibili; sicut est istud: *Quis ascendet in cœlum, id est, Christum deducere?*

IV. Quia Eph. 4. *Qui ascendet, ipse est & qui descendit in inferiores partes terræ; id est, in Infernum, ait Hier. Ambr. Chrys. &c.* INSTAT Beza, *Inferiores partes*, id est, sepulcrum. DICO, sepulcra sunt superiores partes terræ. Dein, Beza sic explicat, & S. Patrum nullus.

DICO AD I. Negatio ab auctoritate est inualida: Quia profitetur Euāgelium non omnia scripta esse: At alij descensus meminerunt.

AD II. Non Deitate, nec corpore, sed animā descendit: cum qua & latronis erat anima, vt & S. Patrum animæ: & hoc erat esse in paradiso. Vide *suprà quæst. 55.*

AD III. Disparitas est: Nam orante Christo, necdum ascenderat Christus, cœlumque referarat: at orante Stephano cœli patebant sanctis animabus. Nec spiritum in manus Dei recipi, est in cœlo collocari: nam & Patrum animas receperat, quæ nihilominus in limbo tenebantur, inque sinu Abrahamæ: non in cœlo.

AD IV. Descendit, non vt pateretur, sed educeret Patres & gloriam victoriæ ostenderet; cuius initium ab reddito spiritu fuit; apparuit verò in resurrectione mortalibus.

AD V. Non sequitur necessariò ex disparatus. Nam ita solutio animæ esset eui.

Eiusdem cum corpore resurrectio, & ascensio; ascendissetque Dominus prius anima, quam corpore.

AD VI. Patet *suprà* *quest. 50.*

QVÆSTIO LXVIII.

*Quousque Cælorum ascendis
Christus?*

LVTHERANORVM hic partes certatim agunt principes duo, Flæcus Illyricus, & Brentius; præcipue pro Vbiquistis: Quibus Christus nusquam ascendit, aut descendit. Atque idcirco COELOS, non proprie, sed Figuratiè accipi oportere contendunt: ut significet: Gloriam, regnum, & Maiestatem Dei; & non locum certum.

FL. ILLYRICVS *lib. de Ascens. Christi*, id SVADERE se tribus putat. 1. Act. 3. *Quem oportet cælum suscipere.* Si de loco foret sermo, dixisset; quem oportet cælo recipi. 2. *Quia ascendit in cælum*, id est, *sedet ad dexteram Patris*: sed hoc est meta horum; quia Deo nec Dextera est, neque Sinistra. Ergo & Ascensio in cælum accipi metaphoricè debet. 3. Quia si ve è in cælum ascendisset cor, orbem, oportebat iussisse Discipulos, ut attentè spectarent, qui globos cæli Stellarumque periret; quò testari possent. *Profectò*, inquit, *ista est planè inuicta demonstratio contra istos loca itatem Christi, cælo inclusi.*

4. BRENTIVS *lib. de duab. nat. Christi*, ad docendum idem conuincitur hisce tribus. Quia, Hebr. 4. *Penetravit cælos*: Imò Eph. 4. *Ascendit super omnes cælos*; ergo non est in alio quo, ut in loco. Quia, Hebr. 7. *Excelsior cæli situs.*

5. Quia si in cælo foret corporeo, id esse Antarticum oporteret, ut pote quicquid: *Alioquin malè se haberet in perpetua a. itatione illa. &c.*

6. Qui Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit*, at non descendit de corporeo; ergo nec ascendit ad corporeum.

II. CALVINVS, qui cæteroquin Vbiquistas ubique proferbit; hæc tamen in quaestione haud obscure vbiquetizat. Sic enim scribit in Marc. 16. *Locum imaginari, in quem Christus ascenderit, non conuenit.* Ratio promittitur apud S. hiluibelburgiū in Th. ol. Calu. l. i. c. 26. *Nullo enim spatio, ad quam sedet, Dextera Dei terminatur.* Ergo sentit Calvinus, Corpus Christi cum Diuinitate Vbique impere omnia.

III. SVREVS, & SPINA, Ministri duo

Caluinistici, in Colloquio Parisiensi primum verbis, dein & scriptis ita professi sunt: *Qui Christum sine Diuisione peruasisse solidissimos cælos putant, oppido quàm falluntur. Perhiantem fracturam ingressi esse credendus est.*

AUTOR. I. Christus ascendit in verum cælum corporeum: Intra verò, an *suprà* illud commoretur, incertum est D. Thomæ 3. q. 57. a. 4. S. Augustino *epist. 57.* curiosissimum & superuacaneū videtur. Certum istud,

Ibi Corpus Christi palpabile adæquato spacio circumscriptum est.

1. Quia vbicumque in Scripturis cælum opponitur terræ, ut sedes Dei; ibi locus corporeus describitur.

2. Quia Christus descendet de cælo ad iudicium cum Maiestate: non descendet de Maiestate, regno, gloria: Ergo non metaphoricè significant *Cælum* ista; sed locum corporeum.

3. Quia, ibi erit Christus, vbi & Sancti, Ioan. 14. at hi, ut corporei, non sunt vbique, sed loco certo, & nobilissimo, hoc est, in cælo quare & Christus ibid. est, ac erit. Ita S. Patres.

4. Quia Corpora quò sunt perfectiora, eò perfectius participant bonitatē Dei, & superiora sunt ordine locali: unde formaliora sunt & altiora: At corpus plus participat de bonitate Dei per gloriam, quam per naturalem formam. Quò gloriosius ac altius esse Christi Corpus debet. Ac ideo Eph. 3. *Ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia.* Euenit hæc ratio D. Tho. 3. q. 57. a. 4. Neque *suprà* cælos locus est; quia corpora sancta nil indigent continentia loci; cū à Deo accipiant omnia, à cælis nihil. Et tamen quia Sancti sunt spirituales substantiæ, ideo debetur eis locus per modum

spiritualis contactus. Nihil ibi metaphoricum esse, d ei, intelligue debet.

DICO AD I. Siue cœlum suscipiat Dominum, siue cœlo recipiatur. vtrumque locum definitiuum significat, & proprium locato, & proportionatum. Nam locato immortalis debetur locus expert corruptionis ac motus: at mundus est locus generationis & corruptionis: ait *D. Thom. 3. questio 67 a. 1 o.*

AD II. Ficta illa, falsa que interpretatio est: patet iam supra.

AD III. Non id visu contingere quibant; vt alius humano visu naturali. Sique vidissent, illusio purari potuisset. Nec testibus huc Apostolis ocularis op^o, cum Angeli testentur. Act. 1. *Assumptus est à nobis in cœlum, sic. &c.*

AD IV. Brentii: Ista significant supremum in cœlis locum, iuxta *D. Th. 3. q. 57. a. 5. o.*

AD V. Sanni sunt isti, in Deū blasphemii. Secus scimus ex S. Augusti *libr. vlt. Ciuit. c. vlt.* Beatos in cœlo habituros corpora gloriola, & statum, & motum, prout voluerint; sed omnino decentem.

AD VI. Descensus Verbi fuit spiritalis naturæ: Ascensus, corporeæ: Idcirco, dem^o vt is fuerit metaphoricus; non hic tamen similiter esse debuit figuratus.

AD VII. CALVINI. Beza in *Colloquio Mompelgartensi pag. 149.* in hoc à præceptore suo discedit apertè. Et bene; patet supra.

AD VIII. Suræi. Similiter huic fabulantur Calvinista de ingressu Christi per ianuas clauas. Vide supra *questio 56.*

Q V Æ S T I O L X I X.

Qualis sit Christi sessio ad dexteram Dei?

LUTHERANI, vt Schmidelinus in d. sput. Wittenb. g. num. 123. *Sedere ad dexteram Dei tibi est aliud, quàm Maiestatem, quàm Verbi cuius propria est, Verè & realiter assumta natura à Filium Dei communicasse.* De hisce portentis vide plura apud Ioan. Struuum in apolog. contra Andr. Schmid. l. V. de & Bezam contra Brentium de omni præsentia, &c.

2. Item Schmidelinus libr. contra Greg. de Valentia, & in d. sput. Wittenb. num. 109. *Deificata est in Christo humana natura; & ad æqualitatem gloria & potentia cum diuino Verbo exaltata; ita vt iam Christus, etiam quàm homo, ubique præsens cum Patre & Sp. Sancto, æquali potentia regnet.* Confona his Brentius, Marbachius, Pappus, & tota Vbiquitariorum natio.

3. It. in ætuetus Dialogo 1 de Trin. fol. 26. *Non potuisset Antichristus Diuinitatem Christi plus destruere, quam isti (Scholastici Theologi) faciunt: Cum illi eorum, quæ Diuinitatis sunt, homini Christo tribuunt; et nos Christi, & Carnis & Corporis eius Naturam in Deum exaltatam glorificamus.*

4. Idem Dialogo 2. *Ille ipse Christus est nunc per resurrectionem in tantam gloriam euectus, quod nunc non diceret: Pater maior me est: Eandem habitat cum Patre lucem inaccessam. Alias non esset ad Dexteram Patris. Non est in aliquo certo loco circumscriptus; est in tertio cœlo; vnde, & ubi omnia implet.*

1. CALVINUS in Matth. c. 22. v. 44, & in c. 26. v. 64. *Sessio Christi ad dexteram metaphoricè accipienda est, pro secundo, vel proximo gradu, quem Dei Vicarius (Christus) occupat. Ideo quippe ad dexteram Dei sedere dicitur, quia summus Rex constitutus, qui eius nomine mundum gubernet, quasi secundum ab eo honoris & imperij Sedem obtinet.*

2. BVLLINGERVS apud Bezam libr. de Omnipræsentia carnis Christi contra Brentium. *Christus in cœlos assumptus, super omnes creaturas exaltatus, Creatura esse desit. Vel, ait Clypeus fidei Geneuen. ita in iis constructus sedet, & ita in vnum locum, quasi erga stulum, inclusus, vt se inde commouere ante diem iudicij nullus queat. Et quid otiosus in terris degeret; cum nec docere hic possit, nec signa facere, nec sibi, nec nobis quicquam prodesse?*

3. CALVINUS Instit. l. 2. c. 9. §. 9. *Ad dexteram Dei non sessurus est Christus, nisi vsque in diem iudicij, Temporale est siquidem*

imperium, quod à Patre Christus accepit, & sub id tempus Deus caput Christi esse desinet.

AUTOR. Horribile; quot hæresibus quamque immanibus illa blasphemii scateant! Ut ad crisin & examen vocare singula non sit operæ. Suapte se monstrositate confodiunt, Solum ego pauca reponam orthodoxa.

Dextera Dei. 1. Dicitur *Beatitudo*, iuxta Psal. 15. *Declarationes in dextera tua usque in finem.* Hic sedet, id est, habitat, ait Aug. l. 1 de Symb. c. 4. 2. Dicitur & *iudiciari Potestas*, qua Patri conregnat Christus venturus iudicare. Vide S. Th. 3. q. 58. 3. Dicitur & *Gloria Diuinitatis*. Quæ tria Christo conueniunt quæ Deo Homini trifariam: Quæ Deo; in *AEQUALITATE Patris*: Quæ Homini; in *Beatitate* præ cunctis creaturis: Quæ Christo, vni Personæ in duabus naturis; in *AEQUALITATE Honoris*; quatenus Filius Dei cum assumpta natura sit eodem venerandus honore, non duplici. Atque tribus his modis sedere ad dexteram Patris, proprium solius est Christi, Hebr. 2. *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando; Sede à dexteris meis?* Hoc est dare Deo, quæ Dei; Homini, quæ hominis sunt; Christo, quæ Christi.

Deificatores autem Humanitatis in Christo refutauimus *suprà à quest. 27* Seruatâ igitur trimembri distinctione dicâ, facile fuerit enarrata hæreticorum fabulamenta diluere. Cæterum plura in meo *Antichristo. p. 1. q. 19.*

QVÆSTIO LXX.

An Christus meruerit esse Caput Ecclesie, & Iudex vniuersorum?

LUTHERO-CALVINISTAS Christum dicere se. leratorum sceleratissimam pec-

catorum, liquet *suprà q. 17.* Inique ipso humana redemptionis opere pluribus obnoxium culpis succubuisse, *quest. 32.* Inprimis verò graves Animæ ipsius defectus eidem int- uenisse, *quest. 44.* Adeoque funditus etiam desperasse, *quest. 46.* cum fidei perdita iactura, *quest. 47.* Ac pro merito pœnas iustas inferorum expendisse: *quest. 50. 51. 52. 58.* Hisque de causis nihil sibi quicquam commertuisse, *quest. 59.*

Hæc, inquam, Luthero-caluinistas affirmata iactare locis adlegatis, fecimus manifestum. Quare quæstionem præsentem ab eisdem non nisi cum sibilis ac sannis excipi, nemini mirandum accidet.

1. **CALVINUS**, ut inimicorum Christi facile inimicissimus est; ita & subannatorum eius maledicentissimus, nefandissimeque blasphemus, sic ait Instit. l. 2. c. 17. §. 6. Et in Phil. 2. v. 9. *Qui Christum per merita consecutum autumant, 1. Ut Iudex sit mundi, 2. Caput Angelorum, 2. Et Summum obtineat Imperium; Temerarij sunt.*

SVADET istis. 1. *Quid opus fuit descendere unicum Filium Dei, ut sibi acquireret aliquid noui?* 2. *Quia pro nobis laborauit usque ad mortem.* Rom. 8. *Pro nobis tradidit illum.* Isa. 9. *Natus est nobis.* Ioan. 17. *Pro eis ego sanctifico me.* 3. *Quia frigeret illa commendatio amoris.* Rom. 5. *Quod Christus pro inimicis mortem subierit.* 4. *Quibus meritis ass. qui potuit Homo, ut ellet Iudex, Caputque omnis creaturæ, & resideret in coelestas illa, cuius millesimam partem nec Angeli attingunt?*

AUTOR RESPONDEO AD I. Qui descendit Deus, sibi mereri habuit nihil: at qui incarnatus Homo factus est, ei inter resurrectionem multa defuerunt. Nam & gloria corporis non sequitur absolute ad gloriam animæ, sed ad congruentiam meritorum; quia acquiritur per actus animæ exercitos in corpore.

AD II. *Pro nobis quidem, sed non Tantum.*

AD

AD III. Charitas eius passî nil impedit meritum proprium Corpori Christi accrescens. Nec sui omnino fuit oblitus Christus, vt ait Calvinus: alioquin non orasset, Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate, quam habuit apud te.*

AD IV. Christus, ait August. libr. de predest. c. 15. non meruit sibi Vnionem hypostaticam; nec vt in eo resideret ea Maiestas: meruit tamen esse Iudex & Caput omnium; quod minus est, quam Reconciliatio mundi; atqui hanc mereri potuit: ergo magis & illa. Vnde si, qui id credunt ac asserunt, temerarii sunt; omnino tenerarius erit Christus, Spiritus Sanctus, temerarii Euangelistæ, omnique S. Patrum Antiquitas, & Ecclesia Dei. Vide in meo *Antichristo part. 1. quest. 19. & 20.*

I. IUDICIARIA POTESTAS est propria Christi. Quæ enim ad hanc tria requiruntur, insunt Christo perfectissime: vt Potestas coërcendi subditos; Zelus iustitiæ; & Sapientia. D. Tho. 3. quest. 59. a. 1.

Et verò Christi est, vt quæ Homo in homines iudicium exercent. 1. Ob afinisheditatem: Vnde Heb. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia. &c. Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ eius.* 2. Corpora mortuorum Deus suscitabit per Filium ad iudicium, quæ Hominem; animas per eundem, quæ Deum; reddet corporibus: ideo & eorundem Iudex erit. 3. Quia, ait August. serm. 64. de Verb. Dom. *Rectum erat, vt iudicandi viderent Dominum Iudicem; in forma serui; boni & mali: in forma Dei, soli boni.*

Ea igitur Potestas conuenit Christo, Tum ob Diuinam personam, ob Capitis dignitatem, & Gratia plenitudinem; Tum verò etiam ex merito. Vnde August. ibidem. *Sedebit Iudex, qui stetit sub Iudice: damnabit verò reos, qui falso factus est reus.* Liquet de Iudice: Porro de Capite.

II. CAPVT ECCLESIAE est Christus. 1. Ob ordinem; quo, quanto est altior in gratia, tanto & propinquior Deo. Quæ causa etiam, Rom. 8. *Quos præsciuit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui: vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* 2. Ob perfectionem gratiarum plenam. 3. Ob virtutem infundendi gratiam in membra influentem. Cùm autem Humanitas tota Christi influat in animas & corpora; idcirco vtrorumque Caput est: Et hoc inter vniuersum genus humanum. Quia 1. Tim. 4. *Est Saluator omnium hominum, maxime infidelium.* 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. &c. Sed etiam pro totius mundi.* Vide D. Thom. 3. quest. 8.

ANGELORVM verò Caput est Christus quia illi vnum Corpus mysticum sunt cum militante Ecclesia. Vtrorumque autem vnus solus Christus vnicum propriumque Caput est, vt præter eum alius esse nequeat. De summo Christi Dominio actum alibi; agereturque loco proprio.

II. CALVINVS de Iudice Laciniam affuens dicit in Luc. c. 24. v. 39. *Plagis adhuc eum Confossum imaginari, cum adueniet mundi Iudex, stultum & anile est delirium.*

AUTOR. I. Detestantur hunc turpissimum Caluini errorem eiusdem discipuli, vt Cōradus Pelicanus in Ioan. c. 20.

Ro-

Rodolphus Gualtherus fol. 175. in Ioan. Ministri ambo Tigrurini.

2. Ven. Beda in Lucam Comment. c. 97. *Vulnerum cicatrices non seruauit, quod sanare non posset; sed ut perpetuo triumphum victoriae sua circumferret.*

3. S. August. putat eas non hiasse rupta carne; sed ut signa mansisse. At melior, communiorque sententia est contraria: ut in quarum hiatus intulerit digitos S. Thomas. Ioan. 20. Vide meum Nucleum concionum Dom. in Albis pars. 4. & 5.

4. De S. Martyrum plagis ita S. Aug. lib. 22. Ciuit. c. 20. *Fortasse videbimus, Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; & quadam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo, fulgebit. &c. Non sunt appellanda corporis vitia sed Virtutis indicia.* Hinc per maius aestima de Christo. &c.

III. CALVINVS alteram annectit notam: sed suam. Quod Apostolos & sanctos fore cum Christo Iudices asseramus; ac ob eam in cætesis, causam ipsos *δὲ λαὸς ἱερός* adoremus; hoc ei bilem in nasum ciet, ut in Ioan. cap. 8. v. 53. dicat: *Illustrauit Deus nomen suum per Apostolos & Martyres: Papiſta idola ex iis sibi conſingunt, quæ DEI locum occupent. &c. Quantulum enim restat Deo, vel Christo; si habeant Sancti, quod illis prodige largiuntur Papiſta? Proinde sciendum est, confundi totius regni Dei ordinem, nisi longè infra Christum succedant Apostoli & quicquid est Sanctorum; ut solus Ipse emineat. &c. Dupliciter peccant: Quod in doctrina Sanctos præferunt Christo: Deinde, quod illos vestiente Christi spoliis, eum proprie sua virtute exciniant.*

Sed singulatim de iudiciario Sanctorum honore dissentiunt hæretici, apud Maldonatum in Ioan. c. 8. v. 53. 1. Forte Iudices Apostolos; non per Comparationem; sicut Niniuitæ & Regina Austri: sed uti latæ sen-

tentiæ præcones. Deinde, non ut Iudices, sed ut Consiliarios & Assesores.

AVTOR. I. Calvinus declamatorum agit, non Doctorem: quin Calumniatorem; mentiens honore Christum spoliari, ac Sanctos præ ipso coornari. &c. 2. Cæteri nugatores sunt: Quasi verò sit Consiliariis opus Christo. Vide in meo Nucleo Concionum de Iudicio, Conc. 4. par. 3. Et D. Tho. &c.

Q V Æ S T I O LXXI.

*Quale Iudicium Christus exercebit
Luthero caluinistis?*

Diligenter congeſſit accuratè doctus Quir. Cnoglerus, quæ huc facere videntur. Reddam ex ipſo; non tam ut refutem, quam ut ad proprium reſerua- ta locum reiiciam: cenſeam tamen tribus.

1. LUTHERANI, Vbi quæſtioni, apud B. zã in reſpon- ſua ad Acta Mom. elp. Colloq. tal. 8. ex Bergensi lupâ dedecunt abortus. *An iudicium Chriſtus non reuertetur? Nec enim poteſt ex loco in locum reuerti, qui omnem locum occupat. Vel ſi reuertetur, non reuertetur verò, ſed apparenter tantum, hoc eſt, ex inuiſibili euadet viſibilis.*

2. LUTHERVS l. de Conciliis p. 2. iudici affeſ- ſores ex orco euocatos assignat Chriſto dicens: *Eurychus & Neſtorius (Archihæretici) Ss. Cyrillum & Leonem condemnabunt.*

DE INIVSTO CHRISTI IUDICIO, 1. Lu- thers in lib. de ſeruo arbit. contra Eratum. *In i- gnos coronabit, indignos puniet: immeritos ſaluabit, im- meritos damnabit.*

2. BRENTIVS in explic. Catecheſ. Wittenb. anni 1552. pag. 214. 215. *Iudicij ſententiam non pronuntiabit ſecundum Decalogum.*

3. Cauſam ſibi promere videntur Miniſtri Lubecen- ſes, Hamburgenſes, Lunæburg: & Magdeburgenſes in reſponſo ad literas Illyrici & Galli: *Omnes enim qui circa Moysen, id eſt, Decem præcepta verſantur, ad diabo- lum pertinent. Addunt Antinomi apud Confeſſores Manſfeldenſes fol. 91. 92. *Legē ſtante, Chriſtum pe- rire oportet.**

4. Symbolam adicit ſuam Nicolaus Amſdorſus i- ſtam: *Nec ſecundum merita iudicabit, (ſcilicet quic- quid ipſe dicat Matth. 26.) ſed ſecundum Fidem. Nam bona opera pernicioſa erunt ad ſalutem.*

AUTOR. Vndenam hi haulerunt talia? Ex pectore, spiritu, librisque Lutheri. 1. De Amsdorfio sanè exiit sermo inter discipulos, dixisse Lutherum: *Spiritus meus requiescet in Amsdorfio*: Nimirum ille, quicum plusquam falis modium absumsit; quique eiante Catharinam fuit concubinus.

2. Ex libris verò: 1. Nam ita Lutherus tom. 3. fol. 40 & 41.

Moyse nec audire, nec videre volumus; Iudaico populo tantum datum est, nec quicquam ad nos pertinet. Et cum quisquam tibi proponit Moyse cum suis praeceptis, iudic: Abi ad Iudaeos cum tuo Moyse; ego Iudaeus non sum, ne mecum Moyse inuoluas. Idem in Colloq. mensalibus, fol. 152. Moyse cum sua Lege ego nolo habere; est magister omnium carnificum, & Christi Domini hostis.

2. LUTHERVS igitur rursus in Postilla de piscatura Patri, par. 2. fol. 154. In captiuit. Babyl. to. 2. Witt. anno 1551. pag. 79. Item to. 3. germanico fol. 40. 41. In praefat. to. 1. Ienensi. Cum solo Isaac Veniendum nobis ad iudicium, id est, cum fide: seruos & asinos, id est, opera oportebit dimittere. Via ad caelum angusta est; necesse est ut gratia fiat, se transire velis. Qui bonis operibus onusti sunt, nunquam per hanc viam se penetrabunt. Nec opera Deus curat, nec iis indiget: nec illi iustus est apud Deum qui multa operatur; sed qui sine opere multum credit. Prima & ultima, simulque pessima haereticis & nocentissima, quae nunquam in mundo fuit exorta est, cum docetur; Bona opera ad Salutem requiri.

3. Item LUTHERVS in ferm. super Euangel. Sic Deus d. lexiv. &c. Dico ego Doct. Mart. Lutherus, indignus Domini nostri Iesu Christi Euangelista, quod hunc articulum: Sola fides, absque omni opere iustificat; inconcussum mihi permittere debeat Romanus Imperator, Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini totius mundi, simul cum suis demonibus: Atque insuper habeant ignem tartareum in sua capita, nec gratias ullas. Hic sit meus Doct. Mart. Lutheri instinctus à spiritu Sancto.

AUTOR. Hæc furia est limphati.

4. Idem Lutherus tom. 1. Ienensi fol. 141. & 144. Vox SOLA, quam de Meo, Paulino textui addidisse non diffiteor, debet in meo nouo Testamento manere; eisi omnes Papa sui ad insaniam & phrenesin redigantur; tamen non debent eam inde mihi eximere. Doct. Martini Lutherus sic vult; & dicit Papiam, & asinum idem esse. Sic volo, sic inbeo, sic pro ratione voluntas. Voluntas enim non discipuli, sed Magistri & Iudices Papiarum esse. Imò volumus etiam semel proteruire & insultare asinis istis. &c. Lutherus ita vult; & ait se Doctorem

esse super omnes Doctores in toto Papatu. Pœnitet me verò, quod non addiderim & illas duas voces, OMNIBVS, & OMNIVM, ad hunc modum: Sola fides iustificat sine omnibus operibus omnium legum.

AUTOR. Hæc Lutherana rabies furiosa est: absit iniuria dicti mei.

CALVINISTÆ qualia? Nec improbè facta; Nec rectè gesta ventura ad iudicium aiunt, ut liquebit.

AUTOR. Infero hinc fortiter: Ergo Extr. iudicium erit aut Iustum, aut Nullum. Quia in illud venient.

I. Non Improbè facta: Enimvero

1. Ita CALVINVS in Matth. 27. vers. 26. Non est timendum, ne in iudicium veniant peccata nostra; à quibus tam pretiosa mercede nos absoluit Dei Filius.

Ipse expertus lenferit; qui inuocatis dæmonibus animam exhalauit.

2. BEZA in Confess. c. 4. art. 12. Effecit sanctificatio nature humane in Christo, nobis per Fidem imputata, ut reliquia corruptionis illius, qua in nobis etiam regeneratis insident, in rationem non veniant coram Deo.

II. NEC rectè facta in iudicium adducuntur. Nam talibus resonant ubiq; scholæ Calvinianæ:

Christiani Soli sidiana iustitia, quaecunque illius fuerit vita reliqua, incerta, & interminata, hominem in aeterna vita possessione collocabit. Tindalus, primus Angliæ Apostolus, apud Foxum Calvinistam in Actis, pag. 1336. Quo ad Deum placandum, nihil est in operibus differentia, siue vrinam reddas, siue laues sentellas, siue agas sutorem, siue Apostolum.

III. Existis rectè infert ZVINGLIVS ferm. de prouidentia cap. 6.

Iudicium Christi futurum iniustissimum. Nam Dominantium more pronuntiabit & definit: Misericordiam impartior pro meo placito, non pro implorantium meritis. Idem ibid. & tom. 1. in explicatione art. 10. Sempiternis flammis homines ob peccata addicet; qua tamen non ipsorum magis opus sunt, quam sui pronen-

eus agricola; aut mallei vomer, quem cudit faber.

AVTOR. Sat docui ex ipsismet cōtra ipsos, quod vllum fore iudicium negare cogantur. At verò sunt ea indigna Christianis auribus; calamo indigniora castigatorio: nec locum reperiunt apud quenquam, nisi quem par furia spiritus infatuârit. Quales brachio sæculari relinquendos, aut Deo Vindici, censeo.

Verum quantò Christianis istis aliter ac sanctius Ethnici ac Turcæ? Homini, ait Cic. in Lælio, datur ascensus in cælum propter mentem, virtutem, fidem. Alcoranus in Azoara 1. *Omnis rectè viuens Mahumetes, bonique gestor indubitanter diuinum amorem assequetur.* Et passim Azoara 27. 28. 39. 45. *Secundum modum operum suorum quemque Deus remunerabitur, tribuens vitam aternam.*

VI. DE SANCTORUM CULTU.

QUESTIO LXXII.

Qualia Lutheri-caluinistarum de Sanctis sint Mendacia, & in eos Conuitia?

DE Mendaciis repete ex meo *Mendace Antipapist. q. 4.*

CONVITIA LUTHERANORVM & Calumniæ sunt blasphemæ, factis & dictis declaratæ.

I. Factis quidem, vt cum Imagines S. Crucis, Christi & Sanctorum exoculant, naribus & auribus truncant, mutilant manus ac pedes, totoque corpore statuas foedant, & comminuunt: cum

SS. Reliquas, corpora, & lypsanothecas, templa Sp. Sancti, cum aris ipsis euerunt, & profanant.

2. Lucianus impius Deos falsos deridiculos fecit, ac irrisit: At Erasmus Amicos & Domesticos Dei irrisui propinavit. Ecce Verba impiacius in Colloquio, Naufragium.

Num imminente mortis periculo Diui cuiusquam implorasti presidium? Cui aliter? Ne id quidem. Quamobrem autem? Quia scio scio est cœlum; si cui Diuorum commendauero salutem meam, (puta Petro, quia fortasse prius audier, ut proprius ostio) priusquam ille conueniat Deum, priusquam exponat causam meam, ego iam periero.

Piò jocos impios!

3. Eodem in libro, more Luciano, B. Virginem, Chrysofostomo verè Seraphicis sanctiorem, in locum ponit impurissimæ Veneris, in præfectura maris.

4. In Dialogo etiam de peregrinatione fingit B. Mariam ad Glaucoplurum scribere talia: *Quod Lutherum secutus strenuè suades superuacuum esse inuocare Diuos, à me qui tem isto nomine bonam magnamque gratiam se inisse scito: Nam antehac tantum non eneabar improbris mortalium orationibus. Ab Vna petebatur omnia; quasi silus meus semper infans esset? Quia talia fingitur, pingiturque in sinu meo.*

Vah! Christianum talia?

LUTHERVS, *suprà quest. 38* Pluris non facit B. Virginis preces, quam cuiusquam è vulgo: quòd simus æque sancti, ac illa.

AVTOR. Ecquid igitur Bernardus tot enumerat Prærogatiuas B. V. Mariæ? Chrysofostomus B. V. dicit *Cherubin honoratiorem, Seraphin gloriosorem?* Quid Anselme ais: *Ea puritate nitere Mariam, qua maior sub Deo nequeat intelligi?* Si æquè sancti omnes, ac B. Maria; quò illi tropæum Virginitatis, cum maternitatis honore? Quò illi tolerãtia tot, ac talium cum Filio suo Christo? Quo gladii cor penetrantis patientia? Vt sancti fierent Martyres, Confessores, &c. quãta subierunt? Lutherani, sine talibus, æquè sancti sunt, sc. ac iusti. P 2. Quin-